Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26122
Copyright: Admont, Benediktinerstift

91

Sed in urbe roma florinus quidam gradu presbyterii de ecclesia elapsus, una
cum blasto socio et eminus et furoris plurimos de ecclesia in suum
baratrum deducebant, noua aduersus ueritatem figmenta machi
nantes. Sed aduersum heresim cataphrigarum scutum ualidissimum protu
lit appollinaris hierapolites, de quo superius memorauimus, alii que
quam plurimi ad id locorum eruditissimi uiri aduersum eos pro ueritatis defensione certarunt, qui etiam nobis ad hystorie textum moni
menta ualidissima reliquerunt. Interim ut diximus appollinaris
scribens aduersum hanc heresim et designans in prefatione quod per
ecclesias galacie uicinasque prouincias digrediens et plurimos ab
eis irretitos uidens, multos quidem et coram disputando correxerit,
rogatus tamen a fratribus etiam hec ad ipsos scripta transmiserit, in quibus post
aliquanta cum auctorem heresis designasset, progrediens etiam hec addit.

Origo inquit huius heresis que aduersum CAP. XVI.
ecclesiam nuper exorta est, inde descendit. Uicus quidam esse dicitur
apud mesiam frigie ciuitatem que appellatur ardabau, in quo aiunt mon
tanum quendam nomine qui nuper ad fidem accesserat sub grato asye proconsule, cupiditate nimia principatus accensum, contrariis spiritibus in se
metipso locum dedisse, ac repente in quendam excessum mentis effectum,
et uelud spiritu acti proloqui cepisse noua quedam et diuersa ab his que ex
successione maiorum ecclesie tradita fuerant, uelud prophetali specie pro
ferentem. Que cum ita fieri uiderent hi qui pridem tempus aderant audi
tores, alii eum uelud demone repletum et erratico perflatum spiritu ad
decipiendos populos iudicantes obiurgabant et proloqui omnino pro
hibebant, memores domini precepti et comminationis eius qua iubet ob
seruari a falsis prophetis. Alii autem uelud sancto spiritu repletum et prophetica